✠

NOS DON DIEGO ANTONIO FRANCES *de Vrrutigoyti, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica Obispo de Taraçona, del Consejo de su Magestad, &c. Otrosi Iuez Apostolico Executor que somos, como sufraganeo mas antiguo de la Provincia de Zaragoça vacante la Sede Arçobispal de dicha Ciudad, de vna Bulla de su Santidad, cuyo tenor es el que se sigue.*

CLEMENS EPISCOPVS servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicæ Dignitatis fastigio, ad quod inefabilis Divinæ Clementiæ abundantia humilitatem nostram, meritis licèt imparibus, evehere dignata est, Pastoralem nostram sollicitudinem, quantum Nobis ex alto conceditur, representare iugiter satagentes, illaque pie & prudenter ad dirimendas lites inter Christi fideles quoslibet, præsertim illos, qui in sortem Domini vocati, sacrisque ministerijs addicti, in Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesijs, Altissimo præstant famulatum, constituta esse noscuntur, ne in recidivè contentionis scrupulum in posterum relabantur, sed vt perpetuo firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter constabilimus, novisque præsidijs, vt serventur corroboramus, & alias desuper officij nostri partes faborabiliter interponimus, provt rationabiles causæ, & pia sublimium Principum, præclaris in Ecclesia Dei meritis fulgentium, vota exposcunt, ac temporum & locorum, atque personarum circunstantijs debitè pensatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ipsarum Ecclesiarum decorem, & in illis famulantium quietem, ac Dominici Gregis edificationem, expedire in Domino salubriter arbitramur. Cum itaque alias dilectus filius noster Ioannes Everardus, Tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Nidhardus nuncupatus, apud Nos & Sedem Apostolicam Charissimi in Christo Filij Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Orator, & Charissimæ in Christo Filiæ nostræ Marianæ Hispaniarum Reginæ, & prædicti Caroli Regis Matris, & tunc Tutricis, & eius Regnorum Gubernatricis, & deinde postquam dictus Carolus Rex Decimumquintum suæ ætatis annum, benedicente Domino fœliciter inchoavit, & administrationem suorum Regnorum suscepit, eiusdem Caroli Regis respectivè nominibus Nobis humiliter exposuerit. Quod alias postquam lis & causa, primò forsan in partibus, coram certis illarum partium Iudicibus cõpetentibus, & deinde in Romana Curia, & causarum Palatij Apostolici Auditorio, coram diversis illius Auditori-

bus, inter dilectos Filios Priorem Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Columna, vulgò del Pilar, nuncupatæ, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium ex vna, ac Decanum, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris, Civitatis Cæsaraugustanæ ex altera partibus, super Cathedralitate, rebusque alijs, in actis causæ, & causarum huiusmodi latius deductis, & earum occasione in tertia, seu alia veriori instantia diu agitata, & ventilata fuerit, fœlicis recordationis Alexander Papa Septimus, Prædecessor Noster, cui gravia scandala, quæ ex lite & causa huiusmodi orta erant, & in dies oriebantur, bene innotuerant, illis occurrere, ac in præmissis, & circa ea opportunè providere desiderans, de aliquorum tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dictæ Curiæ Prælatorum, super causa; & lite huiusmodi, ab eo specialiter Deputatorum, qui negotium huiusmodi maturè perpenderant, & accuratè discusserant, vnanimi consensu, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione, suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, lites & controversias quascumque, inter prædictos Collitigantes, & in quacumque instantia, & tàm in prædicto Auditorio, quàm alio quovis Tribunali, etiam Nunciaturæ Hispaniarum, & coram quocumque alio Iudice, pendentes, in statu, & terminis, in quibus tunc reperiebantur, à prædictis, & alijs quibusvis Tribunalibus, & Iudicibus ad se avocaverit, illasque omnes, & singulas pœnitus, & omninò perpetuò suppreserit, peremerit, extinxerit, & aboleverit, ac perpetuum desuper Collitigantibus prædictis silentium imposuerit, eisque os occluserit, & ad evitandas rixas, & crebra scandala in futurum, diversas ordinationes, & constitutiones, per suas litteras in forma Brevis, sub Annulo Piscatoris, sub die vigesima prima Octobris, anni Domini millesimi sexcentesimi sexagesimi sexti, Pontificatus sui anno Vndecimo emanatas, & præsertim, vt inter dictas Ecclesias Beatæ Mariæ, & Sancti Salvatoris huiusmodi, earumque Capitula, & Personas, perpetuis futuris temporibus in singulis functionibus Cathedralitati competentibus, etiã iuxta Decretum Cardinalium, & Prælatorum Prædictorũ, ordo Alternativæ servaretur, ediderit, & observari mandaverit, seu ordinationes, & statuta desuper facta approbaverit, & confirmaverit, provt in dictis litteris vberius continetur: Verum cum litteræ prędictæ ex certis causis executionem non habuerint, ac lites & controversiæ, ac scandala huiusmodi, sedata non remanserint, & forsan excreverint. Idcirco dicti Caroli Regis nomine, dicta Mariana Regina, sedulo prospiciens ex eisdem præmissis aliquod grave damnum dictæ Civitati, & toti Aragoniæ Regno contingere posse, illique occurrere

sa-

ſatagens, pluries vocatis,& auditis,tàm ſimul,quàm ſeorſim, pluribus Doctiſsimis, & Iuriſconſultiſsimis viris, non ſine magnis difficultatibus,operam dedit, vt Collitigantes prędicti arctiſsimis iuris vinculis ſe ſe obligarent,facturos, & executuros eſſe , & fore omnia & ſingula,quæ Nos ob finem ſedandarum litium, ad inſtantiam, & propoſitionem,ac interpoſitionē dictæ Marianæ Reginæ,dicto nomine fieri,& exequi pręcepiſſemus,provt in publicis deſuper reſpectivè confectis inſtrumentis etiam plenius continetur;Et licet eidē Marianæ Reginæ plurimū cordi eſſet, quod litteræ Alexandri Prędeceſſoris prędicti,debitæ executioni demandarentur, nihilominus perpenſis difficultatibus, in quas incurrendum fore pręvidit ab eiſdem litteris,& etiam aliquibus antiquis concordijs, quæ inter prędictos Collitigantes,ſeu eorū Anteceſſores alias initæ, & Apoſtolica,ſeu ordinaria auctoritate forſan approbatæ dicuntur,recedere, expediens , imô neceſſarium viſum fuit , atque ideò dicta Mariana Regina,facultate ſibi à Partibus tributa,Nobis proponendi,quæ ad dictum finem conſequendum convenientiora,& promptiora eſſent, habito prius exacto rei examine, vti volens, quandam formā reſcindendarum in poſterum litium & diſcordiarum omnium , inter prædictas Eccleſias,ac perpetuæ pacis introducendæ , ſub certis capitibus,de quibus infra,Nobis propoſuit. Nos igitur cupiētes litibus, & controverſijs huiuſmodi finē imponere,illaſque penitus,& omnino dirimire,perimere, & de medio tollere, & ante omnia zelum verè Chriſtianum , quo inflamati prędicti Carolus Rex , & Mariana Regina eius Mater, Eccleſiarū ſuæ ditionis proſpero ſtatui,& Eccleſiaſticorum Paci,& Concordiæ invigilant,plurimū in Domino cōmendantes, ad eorum inſtantiam,& ſupplicem interpoſitionem Capitula,& Canonicos dictarū Eccleſiarum,earumq; ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis,ſuſpenſionis, & interdicti,alijſque Eccleſiaſticis ſententijs,cenſuris,& pœnis à iure,vel ab homine, quavis occaſione , vel cauſa latis , ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt , ad effectum præſentium tantum conſequendum , harum ſerie abſolventes , & abſolutos fore cenſentes , Motu proprio, & ex certa ſcientia, noſtra deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,obligationem prædictam, ab vtriuſque Eccleſiæ Capitulis,admittendi, & exequendi ea omnia,quæ Nos ad propoſitionem,& interpoſitionem prędictæ Marianæ Reginæ diſponeremus , reſpectivè factam, in omnibus,& ſingulis eius partibus, ac in omnibus, & per omnia, & omnino, quo ad omnia, perinde ac ſi auctoritate, & iuſu noſtris, à principio facta fuiſſent, approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos,tàm iuris,quàm facti, & ſolemnitatum quarumcumque

in

in similibus, seu in ea conficienda, de necessitate observandarum, & alios etiam quãtumvis formales, & alios quoslibet, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignos defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, vel prętendi quoquomodo, & quovis tempore possent, etiam ab ipso innitio suplemus, & sanamus, ac illos, omnemque aliam exceptionis, annullationis, irritationis, sive revocationis prędictæ obligationis, etiam iuridicam, & speciali nota dignam allegationem, quę ex quibusvis etiam iuridicis, & legitimis Capitibus, etiam rei iudicatæ, ac per dictas litteras Alexandri Septimi occlusi oris, ac quovis iure, via, & causa, etiã in excogitata, contra obligationem huiusmodi resultare, insurgere, vel opponi posset in futurum, etiam penitùs, & omnino, pariter ab ipso innitio tollimus, removemus, perimimus, & abolemus. Necnon supplicationi, interpositioni, & instantiæ à prædictis Carolo Rege, & Mariana Regina Nobis factis, inherentes & inclinati. In primis in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ ac omnibus, & singulis illius Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, Officijs, & alijs si quæ sint Beneficijs regularibus, & in Comendam obtentis, Ordinem prædictũ Sancti Augustini Canonicorum Regularium, omnemque statum essentiam, & dependentiam regulares, ex nunc Apostolica Auctoritate prædicta, penitus, & omnino ac perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac Ecclesiam Sanctæ Mariæ prædictæ, Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, Officia, & alia si quæ sint in ea Beneficia, ad statum sæcularem, salvis tamen & firmis, & illesis remanentibus omnibus & singulis, privilegijs, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, pręheminentijs, pręrogativis, honoribus, facultatibus, iurisdictionibus, cõcessionibus, indulgẽtijs, & alijs gratijs, tàm spiritualibus, quàm temporalibus prędictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, illiusq; Capitulo, & Mensæ Capitulari, ac Prioratui, Officijs, & alijs Beneficijs, necnon illa pro tempore obtinentibus, cæterisque Ministris, & personis, quomodolibet de iure, vel consuetudine, aut Privilegio, seu alias quomodolibet competentibus, quo ad ea quæ sunt in vsu, nec revocata, vel sub aliqua generali revocatione comprehensa, nec statui sæculari, & sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon Concilij Tridentini Decretis, ac præsentibus adversantur, necnon decimis, primitijs, censibus, laudemijs, recognitionibus, servitutibus, libellis, possessionibus, proprietatibus, legatis, anniversarijs, donationibus, iuribus, rebus, & bonis ad illa quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, etiam si per Sedem prędictã illiusque Legatos, vel Nuncios, ac Imperatores, Reges, Reginas, Principes, & alios vtriusque sexus Christi fideles quoscumque, etiam in-

intuitu,& contemplatione Religionis,& quamdiu illa ibidem vigeret, donata, concessa, relicta, erogata, & elargita fuerit, omnino reducimus. Illis tamen qui Regulares remanere voluerint, in hijs quæ votorum substantiam concernunt Statum Religiosum, quoad vixerint, retinere posse concedimus, dummodo tamen in ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ personæ diversi habitus non existant, sicque qui sæculares esset voluerint, tàm in Choro,& Capitulo dictæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, quàm alibi, alijs illius Canonicis sæcularibus in Habitu exteriore, infra declarando, ac ritu incessu,& ceremonijs absque alicuius apostasiæ, irregularitatis, seu inhabilitatis nota, vel macula, aut alterius censuræ, seu pœnæ Ecclesiasticæ incursu, retento subtus Regulari eorum Habitu, & firmis alijs remanentibus tribus substantialibus votis, per eos emissis, se cóformare debeant: Ac fructus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos tunc obtentorum,& pro tempore obtinendorum in suos proprios,& alios eis benè vissos, honestos tamen, & alios licitos vsus convertere: Nec non de bonis suis mobilibus,& immobilibus, ac se moventibus quibuscumque, tàm in vita, quàm in morte, ac in eorum vltimis voluntatibus, perinde ac si Regulares numquam fuissent testari, & disponere posint; ipsis autem Regularibus abintestato decedentibus, omnia,& quęcumque eorum bona prædicta, Mensæ Capitulari acquisita sint,& quęcumque, & qualiacumque alia cum Cura, & sine Cura Beneficia Ecclesiastica, etiā si Canonicatus,& Præbendę, Dignitates, etiam maiores,& Principales personatus, Administrationes,& Officia, etiam in alijs Cathedralibus, Metropolitanis,& Collegiatis, alijsq; Ecclesijs consistentia, seu si Parrochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ fuerint,& ad Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia huiusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eique Cura imineat animarum, si eis aliàs Canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa,& instituantur in eisdem, recipere, & dummodo plura simul non sint quáque à Concilio præfato permittuntur, quoad vixerint retinere, & quascumque pensiones anuas super similium, vel dissimilium, Beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus, reditibus, & proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis, eis dicta auctoritate reservandas, percipere, exigere, & levare, ac in suos vsus,& vtilitatem convertere libere, & licite valeant, neque in quibuscumque impetrationibus, dispensationibus, facultatibus, indultis, & gratijs quibuscumque per ipsos, vel eorum quemlibet, à Sede prædicta, vel eius Legatis, seu Nuncijs Apostolicis, aut locorum Ordinarijs, seu alijs vndecumque obtinendis,& ipsis quomodolibet concedendis, vllam de

 suf-

suscepto ab eis Habitu, & emissa professione Regularibus, & eorum reductione, & traslatione ad statum sæcularem, huiusmodi alijsque præmissis, vel eorum aliquo mentionem facere teneantur; sed se Canonicos sæculares, aut Clericos sæculares denominare, & inscribere debeant, eadem auctoritate licentiam concedimus, & impartimur; Ac omnia, & singula, quæ in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, pro Canonicis, & personis Regularibus erant, de cætero pro Canonicis, & personis sæcularibus sint, & esse censeantur; Nec deinceps aliqua persona ad Habitum, & Professionem Regulares inibi aliquomodo recipi, vel admitti debeat, etsi recipiatur, & admittatur; receptio, & admissio huiusmodi, & inde secuta quæcumque nullius sint roboris, vel momenti. Deinde dictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ, sic in sæcularem statum reductam, & alteram Sancti Salvatoris, ita vt licet duæ Ecclesiæ Materiales verè existant Vna in posterum, atque eadem Cathedralis, & Metropolitana Ecclesia Cæsaraugustana nuncupari debeat, earumque Dignitates, & Canonici Vnum, atque idem Capitulum constituant cum omnibus, & singulis Cathedralitatis illarum, & alijs iuribus, præeminentijs, & antiquitatibus invicem perpetuo vnimus, coniungimus, & incorporamus. Ac in dicta Ecclesia Cæsaraugustana vnum Decanatum, qui inibi Dignitas post Pontificalem maior existat pro vno Decano, & Quinque Archidiaconatus, nempè Archidiaconatum Maiorem Beatæ Mariæ del Pilar, nuncupandum, in locum Dignitatis Prioratus, qui in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, nunc existit pro vno Archidiacono Maiori Beatæ Mariæ del Pilar, & alium Archidiaconatum Maiorem Sancti Salvatoris in locum illius qui nunc dicitur Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, pro alio Archidiaconatu Maiori Sancti Salvatoris, & alium Archidiaconatum de Daroca, aliumque de Belchite, atque alium qui de iure Patronatus dicti Caroli Regis ex Fundatione, vel Dotatione, aut Privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, Archidiaconatum de Aliaga, respectivè nuncupatos, seu nuncupandos, pro alijs tribus Archidiaconis de Daroca, de Belchite, & de Aliaga, etiam respectivè nuncupatis, seu nuncupandis, necnon vnum Cantoratum, pro vno Cantore, ac vnam Thesaurariam, pro vno Thesaurario, item vnum Archipresbyteratum del Pilar, nuncupandum in locum Prioratus Sanctæ Christinæ nuncupati, pro vno Archipresbitero del Pilar nuncupando, & vnam Scholastriam, pro vno Scholastico, & tres alios Archipresbyteratus Sancti Salvatoris, de Daroca, & de Belchite, similiter nuncupatis, seu nuncupandis, pro tribus Archipresbyteris Sancti Salvatoris de Daroca, & de Belchite, respectivè nuncupatis, seu nuncupandis, omnes Dignitates inibi,

non

non tamen post Pontificalem maiores, ac triginta, & vnum Canonicatus, & totidem Præbendas, quot ad preſens in prædictis Eccleſijs Sanctæ Mariæ, & Sancti Salvatoris huiuſmodi reſpectivè exiſtunt, eſſe debere ſtatuimus, & declaramus, ac reſpectivè erigimus, & inſtituimus, ita vt dictas tresdecim Dignitates, & triginta, & vnum Canonicatus, & Prebendas, huiuſmodi pro tempore obtinentes in poſterum, poſtquam infraſcripta ſupreſsio trium Canonicatuum, & Præbendarum, effectum ſortita fuerit, ac interim donec ſortiatur effectum huiuſmodi, in qualibet Eccleſia pari numero Canonici, eſſe debeant, novum, & vnicum Capitulum Cathedralis, & Metropolitanæ Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, vti dictum eſt perpetuo conficiant, & conſtituant, & Decanus vti Caput nobi Capituli, prædicti habeat locum determinatum in Choris Eccleſiarum Sanctæ Mariæ, & Sancti Salvatoris huiuſmodi, ac perſonalem reſidentiam modo in vna, modo in altera illarum per ſex menſes continuos alternis vicibus facere debeat, ac vni ex dictis Eccleſijs vltimo dicti tres Archidiaconatus videlicet del Pilar, de Daroca, & de Aliaga reſpectivè nuncupati, ac Theſauraria, & Scholaſtria, & Archipresbyteratus del Pilar, nuncupatus, & quindecim Canonicatus, ac totidem Præbendæ, Eccleſiæ verò alteri duo Archidiaconatus, videlicet Sancti Salvatoris, ac de Belchite nuncupati, & Cantoria, & tres Archipresbyteratus Sancti Salvatoris, de Daroca, & de Belchite, etiam nuncupati, & reliqui ſex decim Canonicatus, cum totidem Præbendis huiuſmodi, ſive eas, atque eos pro tempore obtinentes in duo Collegia, ſeu Corpora ſeparati alternis vicibius, ac ſingulis annis de vna ad aliam perpetuo transferendi, deſervire teneantur. Duæ autem Capellaniæ perpetuæ Regiæ nuncupatæ, quæ nunc in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ inſtitutæ exiſtunt, cum ſtallo in Choro, & Habitu Canonicali in eadem Eccleſia Sanctæ Mariæ, etiam perpetuo remaneant, niſi aliter pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, iuxta mentem dicti Caroli Regis, has duas reſidentias, & ſervitia diſtribuere, ac repartiri videbitur. Statuentes, & ordinantes, vt Decanus pro tempore exiſtens dictæ Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ conſervet, & retineat omnia iura, præheminentias, ac prærogativas, quæ prius habebat, tàm in dicta Eccleſia Cæſarauguſtana, quàm in Curijs, & Officijs publicis Regni Aragoniæ, & adhunc effectum tantum vocetur etiã Decanus Sancti Salvatoris, & Archidiaconus Maior del Pilar, etiam conſervet, & retineat ius, quod habebat vti Prior del Pilar, in Officijs publicis dicti Regni, & ſimiliter ad eundem effectum tantum, retineat nomen Prioris del Pilar, & Archipresbyter del Pilar pariter conſervet, & retineat ius, quod habebat in Officijs publicis dicti

Reg-

Regni, vti Prior Sanctæ Christinæ,& ad similem effectum, tantum etiam retineat nomen Prioris Sanctæ Christinæ. Ad effectum verò dividendi prædictam inter Canonicos residentiam in duobus Choris dictarum Ecclesiarum posit, & debeat antiquior Canonicus ex prædictis triginta vno, eligere pro hac prima vice ex prædictis Ecclesijs, illam in qua vellit primum residere, & proximus in antiquitate Canonicus, transire debeat ad aliam observando hanc Regulam, & Ordinem in omnibus alijs Canonicis, etiam Magistrali, Pœnitentiario, Lectorali, & Doctorali, respectivè nuncupatis: Dictæque Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendę conferri debeant iuxta formam, & thenorem in litteris Apostolicis sęcularizationis prędictę Ecclesię Sancti Salvatoris, alias per pię memorię Clementem Papam Octavum Prędecessorē nostrum, factę expressos, & contēptos. Et vt Habitus sit vniformis cum Capitulum, debeat esse vnicum tantum omnes, tàm Dignitates, quàm Canonici Habitu in prędictis litteris dicti Clementis, prędictę Ecclesię Sancti Salvatoris ad statum sęcularem ab eo reductę concesso, scilicet, Hyemali tempore Cappis nigris cum Caputijs, Pellibus Armellinis intrinsecus suffultis, ac Rochetis, Manichas strictas habentibus, ęstivo autem Rochetis similibus, & Almutijs serico Rubro in oris internis ornatis, necnon Superpelliceis, seu Cottis cum manicis oblongis, seu alias iuxta consuetudinem in dicta Ecclesia Sancti Salvatoris Canonicè introductam, illi etiam qui sęculares esse noluerint vti debeant, & teneantur. Et vlterius ad hoc, vt Horę Canonicę in Ecclesijs prędictis, sic vnitis vniformiter, & in eisdem Horis recitentur posit idem Archiepiscopus reducere, & stabilire Horas matutinas ad primam Horam noctis, provt recitantur in dicta Ecclesia Sanctę Marię, vel ad mediam noctem sicuti recitantur in Ecclesia Sancti Salvatoris huiusmodi, provt melius, & convenientius eidem Archiepiscopo videbitur. Et de cętero provisi de Dignitatibus, Canonicatibus, & Prębendis prędictis pręsentare litteras suarum provisionum dicto Capitulo, & in eo prius Possesio eis dari, & deindè in dicta Ecclesia, in qua eius antecessor pro tempore residebat, & in loco ad eum spectante, & in eadem Ecclesia ab illa die, vsque ad pręscriptum Collegis suis recedendi tempus residere debeant. Procesio verò generalis solemnitatis Corporis Christi, perpetuo exeat à dicta Ecclesia Sancti Salvatoris. In die verò Duodecima Octobris, in qua celebratur solemnitas Apparitionis, vt vulgò vocant Sanctisime Virginis Marię, fiat alia Procesio Generalis cum eadem solemnitate, qua celebratur prędicta alia Corporis Christi, & perpetuo etiam exeat à prędicta Ecclesia Sanctæ Marię, & festum vt dicitur Patrocinij, Reg-

Regnorum Hispaniarum prædictę Santissimæ Virginis, etiam Perpetuo celebretur in prædicta Ecclesia Sanctæ Mariæ; Ad dictas autem Processiones, provt ad omnes alias, quæ pro tempore à prædicto Capitulo Cæsaraugustano fient, accedant omnes Dignitates, & Canonici ambarum Ecclesiarum huiusmodi, cum eodem ordine, & graduatione, quibus assistunt in Capitulo, & immediatè post Canonicos moderniores incedant duo Capellani Regij nuncupati, residentes in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, si aliter dispositum non fuerit, ac deindè post eos cæteri Præbendati dictarum Ecclesiarum huiusmodi, iuxta antiquitatem receptionis cuiuslibet eorum, in qualibet prædictarum Ecclesiarum, quod idem sit respectu aliorum Beneficiatorum, & Ministrorum. Cum vero Processio ex vna ex dictis Ecclesijs exire debebit, Dignitates, & Canonici, cæterique in altera Ecclesia tunc residentes, accedant processionaliter cum sua Cruce ad dictam Ecclesiam, à qua Processio exire debebit, & directè ingrediantur, in eius Chorum, ibique vnusquisque ingredientium ratione suæ antiquitatis locum habeat, ac etiam vna illa tantum Crux, quæ deferretur ex altera Ecclesia, in alteram vndè exire debebit Processio, deferri debeat in dicta Processione, & statim ab ingressu in dictam Ecclesiam collocetur eadem Crux, in loco vbi præcedat omnes alias Parrochialium Ecclesiarum Cruces, absque eo quod concurrat propria Crux in dicta Ecclesia. Sanctorum vero Reliquiæ, quando deferrentur in dictis Processionibus, eo ordine deferantur, vt præcedere debeat alias omnes, dignior, & præstantior Reliquia, sive eius ferculum, aut Reliquiarum eius Ecclesiæ, à qua Processio exibit, indeque sequatur alterius Ecclesiæ alia cæteris dignior similiter, atque præstantior, & has aliæ vtriusque Ecclesiæ, hoc eodem alterno ordine, sequantur. Semperque in Processionibus, Funeralibus, & alijs functionibus, quo non vocatur fuerit integrum Capitulum, sed pars illa tantum, quæ tunc serviet alteri dictarum Ecclesiarum, serventur, & impendantur eidem honor, & prærogativæ, quæ servarentur, & impenderentur, si Capitulum integrum interveniret. Et quo ad musicam vtraque Ecclesia vtatur pari numero Musicorum, & instrumentorum, & eis solvatur ęquale salarium, ac deficiente aliquo, illorum loco, infra octo dies Capitulum prædictum Ædicta affigat, & infra duos Menses à die Datæ Ædictorum huiusmodi, de dicto loco provideri debeat, alias prædicto tempore elapso ad pro tempore existentem Archiepiscopum prædictũ electio devoluatur. Item, Cantores, Organistæ, & alij Musici vnius Ecclesiæ, nequeant in altera recipi, sed perpetuo remaneant in Ecclesia, in qua à principio fuerunt recepti. Quando autem omnes con-

convenient, occasione vnionis totius Capituli, sub directione, & gubernio Magistri Capellæ illius Ecclesiæ à qua Processio exibit canere debeant, ac observare inter se antiquitatem suorum vniuscuiusque locorum, & præcedentiam, ac si omnes vni Ecclesiæ tunc deservirent. Pro electione vero Prædicatoris pro temporibus Quadragesimæ, & Adventus teneatur Capitulum se congregare in Mense Aprilis, & cómittere duobus Canonicis singularũ dictarum Ecclesiarum, vt eórum quilibet eligat Prædicatorem Adventus illius Anni, & consequenter Quadragesimæ sequentis Anni, pro Ecclesia præsentis suæ residentiæ, & eleemosyna, quæ dabitur eisdem Prædicatoribus ęqualis esse debeat pro vtraque Ecclesia; Ac in die Cinerum prædicetur in duabus Ecclesijs vnitis huiusmodi, & in illa Hospitalis Beatæ Mariæ de Gratia nuncupati, iuxta consuetudinem dictæ Civitatis, quæ in hoc servanda erit. Publicationes vero Indulgentiarũ, & aliarum gratiarum, ac excommunicationes publicari solitæ in Ecclesijs Cathedralibus in illa fieri Ecclesia, in qua pro tempore actualiter residebit Decanus, & in hac etiam Capitula celebrari, ac teneri, & concursus pro vacantibus, & per concursum providendis Canonicatibus haberi debeant; Et Rectores Parrochialium Ecclesiarum dictæ Civitatis singulis diebus Sabbati cuiuslibet Hebdomadæ, petere etiam debeant Ordinem recitandi Divinum Officium, per totam Hebdomadam sequentem, in illa Ecclesia, in qua etiam, vt præmittitur, dictus Decanus pro tẽpore residebit. Fructus autem, redditus, & Proventus dictarum Ecclesiarum conserventur, provt nunc sunt divissi, quovsque Nos certiorati de statu, in quo de præsenti reperiuntur Ecclesiæ prædictæ sub id disposuerimus. Interim vero illis Canonicis, & Dignitatibus, qui prius residebant in Ecclesia Sancti Salvatoris, & in posterum, vel in ea, vel in altera Sanctæ Mariæ residebunt, solvantur eorum Portiones perinde, ac si adhunc residerent in prædicta Ecclesia Sancti Salvatoris, atque ex eisdem Massa, & redditibus, ac illis qui prius residebant in Ecclesia prædicta Sanctæ Mariæ, & tunc temporis in eadem, seu in altera Sancti Salvatoris residebunt, similiter solvatur ex eisdem Massa, & redditibus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, eadem summa quam percipiebant, & percepturi fuissent, si adhuc residerent in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ; Et Archidiacono Maiori del Pilar, qui subrogabitur in locum Prioris dictæ Ecclesiæ, assignetur duplicata portio, prçterquam in distributionibus quotidianis, illius quę dabitur cuilibet ex ijs Canonicis, qui prius residebant in dicta Ecclesia Sanctę Marię; Et reliqui fructus non spectantes ad Mensas Capitulares vnitarum Ecclesiarum prędictarum, provt sunt reditus Fabri-
cę,

cæ, & Eleemoſynarum convertantur in eos vniuſcuiuſque earundem Eccleſiarum vſus in quo deſtinati ſunt, ſine comixtione, vel confuſsione, ſed eorum computum ſeparatum teneatur. Nullumque inde præiudicium ſequatur Creditoribus Menſarum prædictarum, etiam occaſione penſionum Eccleſiaſticarum ſuper earum bonis, hypotecas habentes, ſed eorum iura remaneant talia qualia ſunt, in ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ita vt propter præmiſſa, nullum novum ius ipſi creditores acquirant, nec acquiſitum amittant. Prætereà quia ob temporum iniuriam, & prædictarum litium neceſſarias expenſas fructus Menſarum Capitularum, huiuſmodi valdè diminutos exiſtere, examine rei extra ordinem habito, Nobis innotuit, tres Canonicatus, & totidem Præbendas, ex nunc provt ex tunc, & è contra poſtquam illos primo loco, etiam per ceſſum, & ex cauſa permutationis, vel deceſſum, aut privationem, vel amiſsionem, Religionis ingreſſum, aut promotionem, ſeu aſſecutionem alterius Beneficij Eccleſiaſtici, vel matrimonij contractum, aut alias quovis modo, ſeu quomodocumque extra Romanam Curiam, non tamen per obitum apud Sedem Apoſtolicam vacare contigerit perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, & illorum fructus redditus, & proventus Menſæ Capitulari Cæſarauguſtanæ, ſalvis tamen, & illæſis remanentibus penſionibus, ſuperdictorum Canonicatuum, & Præbendarum fructibus, redditibus; & proventibus, ac diſtributionibus per Sedem eamdem in actu illorum proviſionum, ſeu reſignationum, vel aliàs quomodolibet reſervatis, quæ firmæ, & illeſæ, vt præmititur remaneant donec ceſſaverint, aut alias extinctæ fuerint, & ad illarum ſolutionem Capitulum prædictum ſub eiſdem obligationibus omnino teneantur, etiam perpetuo applicamus, & appropriamus. Volentes, vt Domus in quibus de præſenti habitant Canonici dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, quandocumque eas vacare contigerit ſubiaceant pariformi, atque eidem optioni cum illis, quas nunc habitabant Canonici dictæ Eccleſiæ Sancti Salvatoris, admiſsis ad dictam optionem, tàm Archidiacono Maiori del Pilar, & alijs Dignitatibus certas Domos non habentibus, quàm omnibus vtriuſque Eccleſiæ Canonicis; Ac pro tempore exiſtens Archiepiſcopus ſtatim, poſtquam præſentaverit litteras Apoſtolicas, Proviſionis, & præfectionis dictæ Eccleſiæ prædicto Capitulo, & ab eo adeptus fuerit poſſeſsionem, ſeu quaſi regiminis, & adminiſtrationis illius, apprehendere debebit illam, in Choris vtriuſque Eccleſiæ ab ea incipiens, quæ magis ei placuerit; Et in feſtivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Iacobi, & Sancti Braulionis, & in die Converſo-

rum

rum nuncapato, si pro tempore existens Archiepiscopus prædictus, Pontificaliter celebrare velit, omnino celebrare teneatur in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, cum assistentia dumtaxat Dignitatum, & Canonicorum, qui tunc residebunt in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, & similiter in Festivitatibus Paschatis, Resurrectionis Dominicæ, & Pentecostes, & alijs Domini nostri Iesu Christi, & Sancti Valerij, & Nativitatis Sancti Ioannis Baptistæ, & Sanctarum Iustæ, & Rufinæ, si prædictus Archiepiscopus vt præmititur Pontificaliter celebrare velit, debeat etiam omnino celebrare in prædicta Ecclesia Sancti Salvatoris, cum asSistentia tantum Dignitatum, & Canonicorum, in eadem Ecclesia Sancti Salvatoris, tunc residentium. Verum functiones Maioris Hebdomade fiant à prędicto Archiepiscopo, ad eius arbitrium in altera dictarum Ecclesiarum, sibi bene visa, cum hoc tamen, quod mittere debeat ad aliam Ecclesiam, in qua dictam functionem non faciet, portionem qua egebit Olei Sancti, & quo ad distributionem dicti Olei Sancti, quæ fit cæteris Parrochialibus Ecclesijs totius Diœcesis Cæsaraugustanæ, ad hoc, vt illarum Rectores æqualiter illud recipiant ab vtraque Ecclesia, earum cuilibet, nota detur cum medietate dictarum Ecclesiarum Parrochialium, tàm intra, quàm extra Civitatem Cæsaraugustanam existentium, & tunc vtriusque residentiæ antiquiores Archipresbyteri distribuant Rectoribus vtrique parti equaliter asSignatis. Distributio verò Palmarum in Dominica Palmarum, & Candelarum in Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in vtraque fiat Ecclesia. Totum autem Capitulum prædictum condere possit Statuta, licita tamen & honesta, in omnibus illis Rebus, quę Sacris Canonibus, ac litteris Apostolicis prędicti Clementis Prędecessoris, super sæcularizatione dictę Ecclesię Sancti Salvatoris, ac in pręsentibus contentis, ac Constitutionibus Apostolicis non adversentur; Ac de cætero prędictas litteras Clementis Prędecessoris, in hijs quibus per pręsentes eis derogatum non fuerit observari debere, etiam perpetuo pręcipimus, decernimus, & ordinamus. Denique pro eorundem omnium, & singulorum pręmissorum, quę tàm in hijs pręsentibus, quàm in prędictis Clementis Prędecessoris continentur, propter vtramque litterarum huiusmodi inter se dependentiam, & connexionem, executione, Sede Archiepiscopali Cæsaraugustana plena, pro tempore existenti Archiepiscopo, in omni eo in quo dictus Archiepiscopus interesse non habuerit, & in eo in quo de eius interesse agetur, & similiter Sede Archiepiscopali vacante Episcopo Suffraganeo Antiquiori, plenam, & amplam facultatem similiter impartimur. Decernentes pręmissa omnia,

nia,

nia, & singula, necnon pręsentes nullo vnquam tempore, etiam ex eo quod quicumque cuiusvis Status, Ordinis Pręheminentiæ, & Dignitatis, aut aliàs specifica, & individua mētione, & expresśione digni in pręmisśis, seu eorum aliquo ius, vel interesse habentes, seu habere pretendentes, & quandocumque habituri, vel prętensuri illis non consenserint, nec ad ea citati vocati, vel auditi, nec causę, propter quas pręsentes emanarint aductę, specificatę, & iustificatę fuerint, aut ex quavis alia quantumvis iuridica, & legitima pia, privilegiata, speciali nota digna, ac de necesśitate iuris, vel facti, aut circunstantiarum, seu alias omnino exprimenda causa, colore prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormisśimę, & totalis lesśionis nullo vnquam tempore de sureptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrę, ac interesse habentium, vel habiturorum consensus, aliovè quomodolibet, etiam quantumvis magno substantiali, & substantialisśimo, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expresśionem requirente, defectu, notari, impugnari, infringi, redargui, in ius, vel controversiam vocari, ad viam, & terminos iuris reduci, aut adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris, vel facti gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam Motu proprio concesso, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud vti seu se iuvare posse; Neque sub quibusvis vnionum, dismembrationum, separationum, etiam effectum non sortitarum, aliarumque similium, vel disśimilium gratiarum, revocationibus, limitationibus, modificationibus, suspensionibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, per quoscumque Romanos Pontifices, & per Nos, & Sedem prędictam etiam in crastinum assumptionis, ad Summi Apostolatus apicem quorumcumque Successorum nostrorum, vel alias etiam Motu simili, & ex certa scientia, etiam Consistorialiter, ac de Apostolicę potestatis plenitudine sub quibuscumque thenoribus, & formis, ac cum qubusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficatioribus efficacisśimis, & insolitis clausulis, necnō irritantibus, & alijs decretis, etiam ex quibusvis causis, & aliàs quandocumque pro tempore emanatis, etiam si de eisdem pręsentibus eorumque toto Thenore ac data, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio fiat comprehendi, sed tanquam in Divini Cultus favorem Ecclesiasticarum personarum pacem, & concordiam, ac decretorum, dicti Concilij Tridentini executionem concessa semper, & omnino ab illis excepta, & quoties illę emanabunt, toties in pristinum, & validisśimum, & eum in quo antea quomodolibet erant statum restituta, reposita, & ple-

nariè reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori, & noba Datta per Carolum Regem, eiusque Successores, necnon pro tẽpore existentes Archiepiscopum, & Capitulum prędictos, quandocumque eligenda concessa valida, & efficatia esse, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & ad vnguem observari. Sicque & non aliàs in omnibus, & singulis prẹmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, Delegatos, etiam Causarũ Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinalis, & de Latere Legatos, Vicelegatos, & dictę Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis Prẹheminentia, & Potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritũ quoque, & inane si secus super his, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, & singulis premissis ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de Vnionibus commitendis ad partes vocatis quorũ interest, ac de exprimendo vero anno valore, & de iure quæsito non tollendo, necnon quatenus opus sit Lateranensis Concilij novissimè celebrati vniones perpetuas nisi in casibus â iure permissis fieri prohibentis, ac recolendæ memoriæ Pij Papæ Quarti, etiam Prędecessoris Nostri de Gratijs interesse dictæ Cameræ Apostolicæ, quomodolibet concernentibus in dicta Camera infra certum inibi expressum tempus registrandis, & insinuandis, aliàs ille non valeant alijsque quibusvis Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Vniversalibus, & Generalibus Concilijs editis, vel edendis specialibus, vel generalibus, necnon Cæsaraugustanæ, & aliarum Ecclesiarum quarumcumque, & ordinis prędictorum, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus Privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam in forma Brevis, per quoscumque Romanos Pontifices Prędecessores Nostros, ac Nos, & Sedem eandem etiam per viam Legis generalis, & Statuti perpetui ac Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & cum quibusvis, irritativis, anullativis, causativis, revocativis, prẹservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis mentis attestativis, ac etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficatioribns, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis eisdẽ Ecclesijs vnitis, illarũque Prẹsulibus, Superioribus, Capitulis, Conventibus, & Personis, etiã locorum Ordinarijs, alijsque quibusvis, etiam ad Imperatoris, Regũ, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, seu eorũ intui-

tui-

tuitu,& contemplatione in contrarium eorundem premissorũ,etiam pluries concessis approbatis & innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio,seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma,ad hoc servanda foret, tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ,nihil penitus ommisso, & forma in illis tradita observata inserti essent,illis aliàs in suo robore permansuris,hac vice dũtaxat specialiter,& expressæ,ac opportune,& validè Motu scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus,illisque omnibus, & singulis derogatum esse volumus contrarijs quibuscũque, volumus autem quod per presentes iure Patronatus, super dicta Ecclesia Cæsaraugustana, predicto Carolo Regi, eiusque Successoribus competenti in nihilo preiudicatum esse intelligatur,sed illud in statu, & terminis in quibus ante premissa erat omnino firmum & illessum remaneat. Nulli ergo omnino Hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis,confirmationis,suppletionis, sanationis, remotionis, peremptionis,abolitionis, reductionis, concessionis, impartitionis, declarationis,erectionis,institutionis,supresionis,extinctionis,applicationis,apropiationis,voluntatis,Decreti, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum,eius se noverit incursurum. Datis Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem,Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto,Tertio Idus Februarij,Pontificatus Nostri Anno Sexto. Locus ✠ Plumbi pendentis.

Al Prior y Cabildo de la Santa Iglesia de nuestra Señora del Pilar de la Ciudad de Zaragoça; y al Dean y Cabildo de la Santa Iglesia de la Seo de la mesma Ciudad, y a los singulares de dichos Cabildos, y a las demas Comunidades Eclesiasticas Regulares y Seculares, y otras qualesquiere del Reyno de Aragon, y a las demas personas a quien lo infrascrito toca, ò tocar puede en qualquiere manera, cuyos nombres, y cognombres siendolo en la notificacion de las presentes,los avemos aqui por expressos,y a cada vno in solidum, salud en el Señor. Hazemos saber,que el Dotor Ioan Luis Lopez, como Procurador Fiscal del Rey nuestro Señor (Dios le guarde) en virtud del Poder que abaxo se insiere, nos presentò la dicha Bulla de su Santidad arriba inserta,juntamente con vna Real Carta de su Magestad à Nos dirigida del tenor siguiente. Reverendo en Christo Padre Obispo de Taraçona,de mi Consejo: Aviendose reducido los Pleytos de las dos Iglesias Catedrales de Zaragoça a vna discordia

vni-

